

lationes, et quorum haec sunt imagines, et non tanquam Deos, ut tu inquis, absit. Averte cogitationes tuas malas Et haec ob imprudentiam ac stultitiam sustinuisti; etenim eos perterrefacis, aisque: Romam mittam, et imaginem sancti Petri confringam; sed et Gregorium, illinc pontificem vinctum, adduci curabo, sicut Martinum Constantinus adduci jussit. Scire autem debes ac pro certo habere, pontifices, qui pro tempore Romae extiterint, conciliandae pacis causa, sedere tanquam parietem intergerinum, septumque medianum Orientis et Occidentis; et pacis arbitros et moderatores esse. (Gregorii II, *Epist. ad Leonem imper.* — *Sacrorum Conc. Collectio Labbaei*, T. XII, p. 960. — Baronius, *Annales eccl. ad an. 726*).

(52) Vero enim omnia vobis praediximus de ejusdem impii regis mendacio et falsitate, et quemadmodum diximus manifesta sunt vobis, et perjurium ejus declaratum est. Pro quo peto vos, excellentissimi et a Deo protecti filii, et nimis obsecro, doleat vobis pro Sancta Dei Ecclesia et pro Beati Petri causa; et quod per donationem Beato Petro offerendum promisistis, ei possidendum contradere debeatis. Mementote, et semper in vestris praecordiis firmiter tenete quod promisistis eidem janitori regni coelorum. Nullam jam vos seducat suasio. Considerate quam fortis existit exactor idem princeps apostolorum, Beatus Petrus. Videte omnia quae ei promisistis, et per donationem offerendum polliciti estis, contradere festinetis, ut non lugeatis in aeternum, et condemnati maneatis in futura vita. Vita enim hujus mundi brevis est, et sicut umbra declinatur, et sicuti vestimentum inveterascit. Illam vitam aeternam, quam vobis Beatus Petrus pro sua causa et justitia promisit, totamente et integro corde quaerite. Decertate bonum opus; quod coepistis, implete, et quae per donationem manu vestra confirmastis, protectori vestro, Beato Petro, reddere festinate; quoniam scriptum est *melius est non vovere, quam vovere et votum non reddere* (Eccl., V). Sciatis enim, quia sicut chirographum, vestram donationem princeps apostolorum firmiter tenet, et necesse est, ut ipsum chi-